

# PALAESTRA LATINA

## S U M M A R I U M

Exercitationes scholares	
De re grammatica	GONZÁLEZ
Supplementum Lucretianum	ORTH
De quibusdam novis vocabulis in Latinum inducendis	AVENARIUS
Tabulae Minimae	DAVID
Commercium epistulare	
Bibliographia	JIMÉNEZ MAULEÓN
Per Orbem	TRISTANIUS
Nova et Vetera	MIR
Compositiones vertendae	
Curiosa	MAULEÓN

*Ordinarii et Superiorum licentia*

# Exercitationes Scholares

## TERENTIUS (VI)

Nec minoris pretii scriptoribus christianis aetate posterioribus fuit. Lactanctius quidem, scriptor elegantissimus conspicuum nominat poëtam; Hieronymus antiquitatis scriptorumque veterum litterate peritus, praeterquamquod eruditissimum nuncupat, decorem atque Menandri elegantiam conservasse judicat; idemque in litteris ad Paulinum poëtis eum proponere ad imitandum non dubitat una cum clarissimis illis Homero, Menandro. Nullius autem scriptoris latini opera adeo descripta sunt ut Terentii commediae quarum exstant hodie pluri-mi codices. Nemo denique ante occasionem Latini sermonis tot invenit scholiastas, qui quattuordecim numerantur. Ex quo intellegitur jam tunc summo in honore haberri studioseque legi.

DORADO-HERNÁNDEZ-CARDO C. M. P.  
ex V.<sup>o</sup> latinitatis cursu.

## M. TULLIUS CICERO

E tenebris in lucem evocatus, optimarum artium studiis eruditus, admirabili quodam pulchritudinis atque honestatis amore incensus, gloriaeque appetentissimus ad civium utilitatem rettulit Cicero omnem dicendi facultatem, qua nulla unquam Romae in magna oratorum copia pulchrior ac venustior fuit. Cum forum attingere coepisset et privatas et publicas adire causas, inter omnes in illo orationis genere asiatico excellebat Hortensius, qui quamdam ducebat quasi familiam.

Ut primam Cicero attigit adules-

centiam, ista dicendi specie ac forma delectabatur clamoresque movebat, acres imagines et insignitas producens atque inflatum orationis genus; quae omnia, postea ipse repudiavit cum, doctrina excultus rerumque usu limatus, novam rationem oratorias Graecorum ac Romanorum virtutes continentem quaequivit.

JOSEPHUS BRASERO, C. M. P.  
e V.<sup>o</sup> Cursu latinitatis. Barbastro

## Palaestra Exercitatoria

### Surrexit

*Ecce jam noctis tenebrae recedunt,  
denuo splendens rediviva mundo  
stella paschalis rutilans, diei  
nuntiat ortum.*

*Hac die, Sidus radians nitore  
caelico, soli rapido per orbem  
anteit cursu, obitus quod hora  
praefuit illi.*

*O Dei Mater jaculo doloris  
ista, te velo nitido perorna,  
nam resurrexit, lacrimis dolenter  
quem pia flebas.*

*Ne fleas Jesum, pia Magdalena!  
feminæ, laeto properate cordel!  
vestra quem querit pietas ademptum  
vivit in aevum.*

*Horreant omnes inimici ad istud  
nuntium, mentes paveant eorum  
territæ; Christus meritum triumphum,  
regnat, adeptus.*

*Christe consurgens, decoris corona  
cinge Te, Victor; pedibus superbas  
frange cervices hominum reorum  
Te renuentum.*

LUDOVICUS MARCOS, C. M. F.  
e I.<sup>o</sup> a. Thol.

# TEXTOS PALAESTRA

## Edición de texto y comentario escolar

Primer curso	<i>Jiménez,</i>	Latín 1. <sup>º</sup> (2. <sup>a</sup> edición)	12 ptas.
	,	Historiae Sacrae Compendium (3. <sup>a</sup> edic.)	5 ,
Segundo curso	<i>Jiménez,</i>	Latín 2. <sup>º</sup> (2. <sup>a</sup> edición) ( <i>en prensa</i> )	
	,	Repetitorium (Libro de prácticas)	15 ,
Tercer curso	,	Epitome Historiae Graecae (4. <sup>a</sup> edición)	6 ,
	<i>Jiménez,</i>	Latín 3. <sup>º</sup> ( <i>en preparación</i> )	
Cuarto curso	<i>Ramos,</i>	Corneli Nepotis Vitae	5 ,
	<i>Mir,</i>	Ciceronis Epistulae Selectae	4 ,
Quinto curso	<i>Jiménez,</i>	Latín 4. <sup>º</sup> ( <i>en preparación</i> )	
	,	Caesaris de Bello Civili, 2. <sup>a</sup> edic.	6 ,
Sexto y séptimo curso	,	Ciceronis pro Archia poëta	4 ,
	,	Ciceronis in Catilinam	4 ,
	<i>Jiménez,</i>	Latín 5. <sup>º</sup> ( <i>en preparación</i> )	
	<i>Martija,</i>	Vergili Aeneidos (libro 2. <sup>º</sup> )	6 ,
	<i>Mesa,</i>	Sallusti de Conjuratione Catilinae	6 ,
	<i>Mir,</i>	Nova et Vetera (método directo del latín)	20 ,
	<i>Planque-Planas,</i>	Gramática Griega	36 ,
	<i>Jiménez,</i>	De Orthographia Latina	6 ,
	<i>Martija,</i>	Prudenti Carmina Selecta (2. <sup>a</sup> edición)	5 ,
	<i>Sarmiento,</i>	Martialis Epigrammata	4 ,
	<i>Mesa,</i>	Titi Livi Historiae Selectae	8 ,
	<i>Zuluaga,</i>	Horati Carmina Selecta	6 ,
	<i>Ruiz,</i>	Homeri Odyssea (Primer canto)	10 ,
	<i>Ramos,</i>	Xenophontis Anabasis (Primer libro)	12 ,

## Edición de sólo texto

Ciceronis Epistulae . . . :	2 ptas.
Ciceronis in Catalinam. . .	2 ,
Ciceronis pro Archia . . .	2 ,
C. Nepotis Vitae . . .	2 ,
Sallusti de Catilinae Conjuratione	3 ,
Titi Livi Historiae . . .	3 ,
Vergili Aeneidos (lib. II) . . .	3 ,
Horati Carmina . . .	3 ,

# CLÁSICOS "LABOR"

Esta Colección constituye el guía obligado en la lectura y estudio de los grandes clásicos de la Antigüedad y de las Literaturas modernas. Cada volumen contiene un estudio magistral acerca de uno de los grandes autores y una selección de los textos más bellos y representativos de sus obras, facilitando con oportunos comentarios la perfecta asimilación de su contenido ideológico y su plena fruición estética.

Volúmenes de 250 a 300 páginas, tamaño manual (11,5 x 17,5), encuadrados a la holandesa, con sobrecubierta a dos tintas y un retrato del autor estudiado, impreso sobre papel couché.

## VOLÚMENES PUBLICADOS

1. **HOMERO**, por J. M. PABÓN, Catedrático de Lengua y Literatura griega en la Universidad Central. Ptas. 28.—
2. **VIRGILIO**, por J. de ECHAVE-SUSTAETA, Catedrático de Lengua y Literatura latina. Ptas. 32.—
4. **BALTASAR GRACIAN**, por J. GARCÍA LÓPEZ, Catedrático de Lengua y Literatura española. Ptas. 30.—
5. **SÉNECA**, por J. F. YELA, Catedrático de Filosofía en la Universidad Central. Ptas. 30.—
6. **DEMÓSTENES**, por M. FERNÁNDEZ GALIANO, Catedrático de Lengua y Literatura griega en la Universidad Central. Ptas. 32.—

NUEVOS TOMOS EN PRENSA Y EN PREPARACIÓN

**EDITORIAL LABOR, S. A.**

MADRID: Alcalá, 144

BARCELONA: Ronda Universidad, 23

# FOTOGRABADOS

# CLARA

IGUALADA, 6 (GRACIA) · TELEFONO, 27·69·35

BARCELONA

Cum emetis, PALAESTRAM LATINAM nuntiantibus referetis

# De re grammatica

## Scilicet ac videlicet

Quaestiunculam hic de Sermone Latino cum Hispano comparato, in tironum commodum, mihi breviter retractandam duxi. Saepe enim numero in elocutione, atque ea potissimum didascalica, hisce utimur adverbialibus hispanis vocibus: *a saber, esto es, es decir*, similibusve non nullis. Hujus modi autem privis «idiotismis» explicare interpretarique cum vocabula tum etiam phrases quae proxime in propositione antecedant, fere consuevimus. Quanam vero ratione hujusmodi locutiones in Latinum si res postulabit, convertemus?

Haud rari quidem ex nostris Grammaticis eas vocibus *scilicet* aut *videlicet* convertendas esse docent. Quod omnibus paene scriptoribus de disciplina praesertim ecclesiastica latine exaratis facile commonstratur. Verum, apud egregium scriptorem de Latinitate hodiernum, de ea re legimus: «Adverbium *scilicet*, quo explicetur vox quae proxime praecessit, plerumque neglegitur» (1). Quae res sequenti ab eodem Ciceronis exemplo confirmatur: «Qualem acceperim rem publicam intellego, (*scilicet*) plenam sollicitudinis» (2). Ac facili omnino negotio id exemplorum genus apud Auctores Classicos, e re nata, invenire est (3).

Regula vero grammatica supra adlatis Isseleanis verbis exarata, etsi in universum certa, strictius tamen loquendo mutila ideoque, nisi multum fallor, recoquenda est. Etenim de quorundam «praetermissione» adverbiorum in Sermone Latino agens, his porro verbis rem explicat E. Berger, clarissimus scribendi magister: Locutiones hispanicae *a saber, esto es, es decir*, in Latino omittuntur (4).

Jam vero quaestiuncula proposita adhuc neutiquam enodata est. Isselé enim rem modo agit temperato: «plerumque neglegitur»; Berger autem de praeteritione «particulae» absolute loquitur. At qui rem tali pacto definire nullam fere lucem adferre in comperto est. De «media» quasi «veritate» dum taxat sermo est: ultra igitur nobis progrediendum.

Agitur nempe in hac quaestiuncula de certo «appositionis» grammaticalis casu. In quibus appositionibus quaedam quasi gradatio in ideis preferendis dari solet: aliquando enim intensiore aut remissiore vi aut proprietate easdem exprimere intendimus. Atque hinc optime, in laudato opere ab E. Berger exarato, dicitur: Cum vero novam ideam apposito, seu veram rei explicationem comprehendit, tunc additur: *quid est, id est, dico, inquam* (5). «Est animi lucem splendoremque fugientis, justam gloriam, qui est fructus verae virtutis honestissimus, repudiare» (6). «Apud Amphictyonas, id est apud commune Graeciae consilium» (7). «Haec igitur duo, vocis dico moderationem et verborum conclusionem, a poëtica ad eloquentiam traducenda duxerunt» (8).

Audiamus hic iterum clarum Isselé. Verbum *dico* usurpatum in Sermone

Latino, haud secus atque in vernaculo, pro adverbio «scilicet» aut hujus modi. Substantivum vero sequens effertur casu praecedentis: «Quid est dulciss otio litterato? iis dico litteris, quibus infinitatem rerum cognoscimus» (9). Tamen, si substantivum praecedens effertur nominativo, consequens accusativo efferrendum: «Summi oratores, Antonium dico et Crassum» (10).

Denique aliquando complementum aliquod genitivi habet locum appositionis, quae his praecedi solet locutionibus: *a saber, esto es, es decir* (11). «Aliis ego te virtutibus, continentiae, gravitatis, justitiae, fidei, ceteris omnibus, consulatu et homni honore semper dignum judicavi» (12).

Quid vero nunc, qui jam finem quaestiunculae imponam, de usu particularum *scilicet* ac *videlicet* dicendum? Audiamus quoque, ne parum sit auctoritatis in affirmando, ipsum Berger: Vocabula «*scilicet*» ac «*videlicet*» neutiquam in hoc casu usurpari debent; haec enim significant: *bien entendu, il va de soi, il va sans dire* (13). «Temeritas est *videlicet* florentis aetatis, prudentia senescentis» (14). «Nisi istis alio tempore responsurus essem, tum *scilicet* cum tibi» (15).

Praecipuos denique diversarum nationum lexicographos hodiernos inspicere facile est, qui omnes hac quidem ratione convertunt particulas latinas *scilicet* ac *videlicet*. Ex quo omnino appareat sensum harum particularum classicum minime eundem fuisse atque sensus, qui hodie eis fere est communior. Tamen, si quid mei judicii est, haud urgenda commutatio in usu cottidiano vulgarique Sermonis Latini; id plane impossibile foret. Hic illud Horatianum: *Quem penes... In versione vero Classicorum et in usu sermonis Latini Classici, sicut in PALAESTRA LATINA, Latinitatis inclito praeconio, res paululum innovanda videtur.*

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

## Supplementum Lucretianum

(Cfr. PAL. LAT. n. 121, p. 161)

897: corporis ut navis...

metaphora hoc loco adhibetur, ubi corpus cum nave comparatur et «corporis navis» dicitur. «ac» codices injuria tradunt, et superfluum est et contra artem metricam peccat.

907: quietes  
quadrat ad «curas».

1037: sollicitatur *idem* nobis...

---

NOTAE: (1) J. ISSELE, C. SS. R : *De Latinorum Sermone (Praecepta)*: pag. 144. Ex typis Desclée de Brouwer et Soc., Parisis. - (2) Cic., *Dē Leg. Agr.*, 2, 3. - (3) Cf. Cic., *Sen.*, 5, 14; 7, 22; *Off.* 3, 1, 1. - (4) E. BERGER, *Stylistique Latine*, pag. 215; Paris, Librairie C. Klincksieck, 11, Rue de Lille, 11; 1890. - (5) BERGER, *ib.* - (6) Cic., *Pis.* 24, 57. - (7) Cic., *Inv.*, 2, 23, 69. - (8) Cic., *Dē Or.* 3, 44, 174. - (9) Cic., *Tusc.*, V, 36, 105; *Or.* 58, 197. - (10) ISSELE, pag. 152. - (11) BERGER, *ib.* - (12) Cic., *Mur.* 10, 23; *Off.* 2, 5, 16; *Agr.*, 2, 14, 36. - (13) BERGER, *ib.* - (14) Cic., *Sen.*, 6, 20; *Inv.*, 2, 4, 14. - (15) Cic., *Fin.*, 4, 22, 62; *Sen.*, 8, 26; 13, 44.

agitur de eodem semine, quod in nobis esse semper consentaneum est.  
«nobis» est dativus sociativus.

## V

195: quod etiam...  
quōd = quoad (=eum), cfr. II 248, 850. V. 1213. cfr. STOLZ-SCHMALZ,  
*Lat. Gram.* 768.

587: dum tremor et clarus TUM cernitur  
error sic evasit: *tum, dum.*

672: nec nimis incerto... tempore  
haec forma negativa iteratur versu proximo 676 «non nimis incertis... in  
partibus»; via erroris erat haec: *nec nimis incerto, nec minus in certo.*

706: magis his lumen...  
haplographia «his» post «magis» omissum est. «his» = radiis.  
736: ordine cum moneant tam certo multa creari...  
tam multa certo ordine creari monent; alliteratione jure adducor ut «mo-  
neant» proponam.

761: periri:  
est contaminatio quaedam orta ex *perdere* et *perire*, quasi forma deponens  
ut apud Plautum; cfr. STOLZ-SCHMALZ, *Lat. Gram.* 543, 601, 237 (*trier* = *ire*).

776: quove modo *quirent*  
melius «quirent» quam «possent» propter alliterationem.  
1442. tum mare velivolis florebat propter *honores...*  
ad «honores» revocat Horatius «ruris honores» carm. I 17, 16. cfr. III  
29, 51.

## VI

201: *in* nubibus  
«in» haplographia ante «nu-» excidit.  
245: neque *te* in promissis plura morabor. cfr. V 91.  
370: dissimiles inter se *illas* turbareque mixtas...  
*illas* = partes; prima pars caloris, postrema pars frigoris.  
401: fulmen *tonitusque* profundit  
error sic processit: *tonitus, sonitus*. cfr. Iupiter tonans. LUCR. I 1105 toni-  
tralia: in TERRAS... *tonitus*.

858: et calido *suclare* vapore...  
«suclare» novum verbum est, quod rarissime usurpabatur. Festus: de  
verborum significatione (ed. MUELLER, Lipsiae 1880) p. 301, 28 commemorat:  
*suc(u)la* = *sucla*; verbum «suclare» inde derivari potest. cfr. STOLZ-SCHMALZ,  
*Lat. Gram.* 215, 216, *sucula* est machina, qua ex ima terra aliquid sursum vol-  
vit, «quam ex profunda terra calido vapore sursum propellere et volvere»:  
talis est sensus verbi talis «suclare».

1262: quo magis aestus  
1263: confertos  
«aestus» est genitivus dependens ab adjetivo «confertos», quod «ple-  
nos» significat; si «refertus» cum genitivo conjungitur, etiam «confertus» cum  
eodem genitivo copulari non est. Sensus vocabuli «aestus» hoc loco idem ac  
«febris» est; cfr. CIC. *in Catilinam* I, 31 *aestu febrique*. EMIL ORTH

# De quibusdam novis vocabulis in Latinum inducendis

(cfr. fasc. sup. p. 166)

DE BILLARDO (*prosequitur*). Tu igitur, Joseph, subsequus vel subsicuus, adjectiva nomina, a me novata ratus, Lurtium monentem introduxisti, ne no-varentur, ne recte quidem, ubi antiqua ad manum essent. Sed illa duo Georges meus in tempore ministraverat malueramque hunc perpetuum sequendi statum et propensionem adjective, quam participialiter activeque enuntiare. *Sphaerothysis*, *trisphaeristerium*, *tripilarium* tentamina sunt plus minus felicia; haec et illud *tudiculari* eadem laborant infirmitate quam supra dixi habere *pilitudium*.

Age veniamus nunc ad illud *epistulare commercium*, quod editum est in fasciculo 108 PALAESTRAE et pagina 370. Hic primo vix est necesse dicere quam mihi grata atque festiva sit inveterata illa concelebratio, qua quidam in Hispania amici diem festum S. Andreae Apostoli, quod eo ego glorier nomine, ornare solent. Et utinam mihi hoc anno contigisset harum munus litterarum vicissim tibi ad festum S. Joseph diem offerre. Sed eram impeditus chirurgica varicosorum crurium meorum medicatione. Quidam insulae Tiberinae chirurgus sectione facta venarum illam injectit medicinam, qua varices inarescerent, sublata, ut ajebat, causa molestae in sinistra sura exulcerationis varicum. Si chirurgi sollertia factum est, ut neque sectionibus inguinis neque liquoris nescio cuius infusionibus per longos utriculos usque ad genua in venas demissos, multum cruciarer, neque enim sopitus eram, secutum illud est, ut quinque diebus consecutis arcerer altaribus, quibus diebus situs corporis erat non erectus ad perpendicularum, sed ad libellam aequus, paulatim deinde meliuscule coepi habere atque adeo gaudere, quod illa cura et sectione varices coactae sunt detumescere. Sed vides, quo cum dispendio morae res fuerit, quot diebus ad scribendum fuerim impeditus.

Non possum non gaudere quod mea Pelleterii erratio illis lectoribus placuerit, planeque tibi assentior rem futuram fuisse haudquaquam inutilem, si Georgiolus ille, hodie certe factus sacerdos, factus libellus fuisset. Sic, etiam meus quondam Pancratius, drammatica actio, quae a me in Latinum versa bis in scaena acta est, et semel me spectante, postea in Alma Roma edita; sic etiam illa descriptio expeditionis Scottianae ad antarcticum polum, in eadem edita ALMA ROMA, utiles facti libelli essent, si separata a fasciculis commentariorum essent edita. Et hoc fieri re Scotti ideo suspicatus, quod in paginis essent etiam numeri adscripti continuationibus, etiam monui Furnarium moderatorem. Rescripsit non posse deletis jam matricibus plumbeis chartaceisve et esse rebus lacrimas; quibus tamen lacrimis non reparata jactura est.

DE VOCIBUS AD TRAMEN ET TRAMVIARIUM CURRUM SPECTANTIBUS. Hoc igitur jam lecto senilis loquacitatis specimine, ad vocabula redeamus. Hic principio fateor non unam ab omnibus dici et defendi sententiam, et ne oportere quidem. Ego illa sequor quae post aliquantum deliberationis magis significatio et propria videam. Nunc autem ipsorum vehicularum tot sunt hodie genera antiquis illis Latinitatis auctoribus et mediae aetatis scriptoribus ignota penitus, ut, nisi multum concedas internationalibus recentibus nominibus Latine loquens non intelligaris, de quo tu genere dicas. Idcirco mihi placuit «tram» anglicum nomen et italicum «tramvia» usurpare etiam in Latino sermone indebet deducere *tramviarium currum*, quod is leniter laberetur per *tramviam*, hoc est ferream viam in urbium stratis demissam. Illam *electriveham* tuam, etsi «veham», nusquam conspiciam usitatam, idoneum nomen esse doccurui vi currenti electrica, vehenti alios currus. Malim *electrivelam* dicas id genus curriculi, ortam ex *electro* et *vehela*, quam licebit contrahere in «velam», quemadmodum factum esse in velatura meus me docet Georges. Est igitur *electrivela* vehiculum, electrice impulsu res aut currus vehens. *Vaporitraha* admissa semel *traha* non insulsum nomen esse machinae vi currentis vaporis trahentisque per *binariarum ferrearum linearum lapsus* minorem majorem numerum curruum hominibus portandis vel mercibus.

Sed illum ordinem curruum vaporitrahae tuae, meae *tractoriae* copulatum, «trahaculum» te nominare vetuerim; nam est hoc instrumentum quo trahitur, non illud quod trahitur. Quae autem nomina terminantur in «-mentum» vel «-men», etsi saepe et ipsa instrumenta denotant, non raro etiam, quod aliqua re fit, sonant. Aginen est quod agitur; segmen quod secatur, fragmentum quod frangitur, et, me auctore *trah-mentum*, quod suis legibus *tramen-tum* erit, vel «tramen» erit quod trahitur, vestrum, Hispanorum, *tren*, Gallo-rum *train*, Italorum *treno*, Anglorum *train*, internationale nomen. nobis Latini seminis viris non indecorum, sagacius, quam crederes a me posse fieri, exco-gitatum. Et tamen, si me compellaveris, quid «tren» sit Latine, esse *tramen ferroviarium* respondebo.

Subit illa, de qua et saepe antea et scribens Pelleterium mecum cogitavi, ecquod nomen daremus illis ferramentis, quae curruum ferroviariorum rotis subdita et cursum certum et lapsu facilem efficiunt. Oh, quam cito etiam mihi occurrat «orbita»! quam nos fortasse etiam in eam, quam hic cupimus, sententiam torqueamus, et hoc magis, quod plana inde via erit in «orbitarium». Verumtamen, cum ea legisset, quae lexica de vi hujus nominis disputant: esse *orbitam* vestigium, rotarum vertigine in terra depresso, *orbilia* esse partes ipsius rotae, jam intellegere visus sum orbitam et orbilia non esse, quae hic quaerantur vocabula. Ergo audendum aliquid, quod illas ferreas regulas sonet quam proxime. Illo ausu nata sunt mea *rotalia*, quibus ferroviario-rum curruum rotae irrotarentur. Sed nunc a te compulsus rursus cogitans duarum rerum video desiderari nomen: earum, quas modo dixi ferrearum re-

gularum, singulati*m*, *rail* Gallorum, *rotata* Italorum, *vestrum riel*, in quibus omnibus latinare p*uo* mea *rotabula*. Germani dicunt illa ferramenta singula «*Schiene*» regulam. Praeterea quaerendum, quid latine sint illi *binarii linearum ferrearum, ferrea via, chemin de fer*, qua via currus inter se copulati vapore vique electrica per regiones et terras rapiuntur. Hic aperto vocabulario gallico lego «*chemin de fer, chemin de fer à deux voies, chemin de fer de ceinture, chemin de fer métropolitain, chemin de fer à crémaillère*». Oh, quam imterdum linguae latinae hodiernae dialecti faciles dant vias ad nomina Latina, si modo tempus tibi sumas ad cogitandum! Et hoc diu meum fuerat somnium, ut ostenderem aliquo colloquiorum libro, quibus verbis quo*v*e sermone hi homines de rebus cotidiana*e* vitae inter sese garrire. Sed neque cogitare neque scribere ad hunc diem licuit, et nunc jam decurso vitae spatio, sero, et post ossa venio. Illas igitur regulas «*currilia*» vel «*currulia*», nominem, *ferrovia-ria* (anne *ferriviaria* dicendum?) *currilia*. Paria illa currilium quibus demum ferrea via efficitur, mihi erunt *curricula*. Itaque, si me compellaberis in magna statione aliqua ferroviaria, ubinam invenias *tramentum Matritense*, te prope- rare jussero ad tertiam crepidinem illudque curriculum, quod ingredienti sit ad dextram, nam ad sinistram quartum sterni *curriculum*. (separar)

Romae.

ANDREAS AVENARIUS, S. V. D.

## T A B U L A E M I N I M A E <sup>(1)</sup>

*Adsis, o Noster, redeas. precamur!*  
*Ora nam mundus stit ut benigna,*  
*jam Tui certam stit utque lancem*  
*anxius, Almel*

*O Tui, Noster, memores, acerba*  
*quae premant vitae subeamus acres,*  
*alta conantes; levis atque rebus*  
*sidat egestas!*

*Tu, aestibus sospes rabidae Charybdis,*  
*naufragae Scyllae, pelagi per undas*  
*duc ratem, Custos, vehet ut, triumphans,*  
*integra cursu!*

*Alphonsus DAVID, Sacerdos*

(Ex rebus gestis divi Francisci a Paula, Minimorum Auctoris, 685-700).

*Deside, circum, timidos, inertes*  
*digna perquirant cieas superne;*  
*celsius scandant animi: quot adsunt*  
*undique clades!*

*Jam Tuae, —rebus, laribus secundans—,*  
*Italae gentis Calabru<sup>n</sup>que custos,*  
*patriis adsta gradibus, tenacem*  
*prospice metam,*

(1) *Tabulae Minimae*, quas Rdu. P. Prof. Lic. Nic. Lusito, O. Min. edendas rogaverat, hic inscribuntur, quae utinam lectoribus probentur.

## Commercium epistulare

Jos. M.<sup>a</sup> Mir, C. M. F., R. P. Ildephonso González, C. M. F. sal. pl.

Responsionem ut exspectares meam d: *tramine* rogaveram; nunc ad rem...

De vocis «*trama*» etymo cl. v. Ernout-Meillet (1) sententiam proferre non audent, idque tantum adnotant: «*De trans?*». O. Pianigiani (2) vero haec in suo *Vocabulario* habet: «*trama* fr. *trame*; sp. e port. *trama*; lat. *trama* da *trameare* o *transmeare* passare al di là, composto di *trans* oltre, *di là* e *meare* passare». Et ideo in voce «*trama*» tecum convenire videtur. De illa autem evolutione *transmeo* > *trameo* > *tramen*, quam tu probas, auctores silent; et vocabulum *tren* alii a voce \**truginare* > \**tra[h]inare* > *trainar* > *traino* > *tren* derivant, ut placet Meyer-Lubke (3); alii vero *tramen* proponunt, ut O. Pianigiani, cuius haec sunt verba: «*tráino* prov. *trahi*; a fr. *train*, mod. *train* [onde la voce *Treno*], accanto a *traineu*; sp. *tragín*: dal lat. *trahere*, *trarre* e più ant. *trâire* onde l'ant. francese e provenzale e poi l'italiano, mediante una suposta forma nominale \**trahimen*, \**tragimeu* [Diez], o verbale \**trahinare* (v. *Trarre*). Il Förster da *traha*, *treggia* con suffisso nominale *-inum*».

Vocem vero «*tramen*» instrumentum quo aliquid trahitur aut trahendi effectum recte interpretaris; verba enim in *-men* desinentia utrumque saepe significant. Et ideo instrumentum tractorium i. e. *vagón* apte significare potest —ut tu proponis—, et ipsam curruum seriem, quam *tren* vocamus. Illam autem sagacem tuam distinctionem inter *tramen* (*vagón*) et *tramina* (*tren*) prorsus prorsus probo; quanquam *tramen* (*vagón*) plurali numero usurpatum, obscuritate quadam laborabit. Id tibi notum volo P. Avenarium de hac voce cito verbo facturum eamque *tramen ferroviarium* Latino sermone interpretaturum. *Trahaculum* vero Avenario nostro non probatur, cuius tu in PALAESTRA arguimenta leges.

Nostra ne desinas animo perpendere, in trutinam revccare, contraria in medium proferre. Interim valetudinem cura diligenter.

Barbastro, idibus aprilibus Anni Sancti 1950.

Andreas Avenula presbyter clarissimo Patri Joseph Mir, C. M. F. S. D.

Serius quam vellem, immo vero deberem, sed aliquando tamen tibi nuntio recte redditu esse mihi, quae ad me dederas, omnia: litteras diei secundi proximi mensis, quos significaram deesse fasciculos, «*Nova et Vetera*», postremo separatim fasciculum centesimum vigesimum, mensium Martii et apri-

\* Lugenda menda typographica quae exciderunt in tua epistula: n. 120, p. 146, lin. 35: *tramo* verte in *trama* et lin. 40 *tramo* in *traho*.

(1) *Dictionnaire etymol. de la langue lat.*

(2) *Vocabulario etimol. della lingua italiana*, Milano, 1937.

(3) *Roma. etymol. Wörterbuch*, Heidelberg.

lis iterum. Prorsus habere videtur quod in salutatione ille Alexander confirmavit: non ordinate satis expediri istinc mittenda sociis, hanc fortasse ob causam, quod sociorum non sint perspicue scriptae tabulae. Se quoque in quibusdam commentariis distribuendis eandem querelam. Sed nunc tibi perennes me debere fateor gratias, quod tandem ad bibliopegum nostrum portare potui fasciculos tomorum duorum, qui tomi, post non nimium spatium temporis, ad bibliothecam meam insigne ornamentum accident.

Quam autem recte Alexander verba de expeditione fecerit, testimonio est etiam, quod iam tertium exemplar fasciculi quem dixi vigesimi et centesimi huc allatum est paucorum spatio dierum. Quae exemplaria ego, cum in viam Julianam revertero, eidem Alexandro restituam retento uno. Nam etsi olim fasciculorum opera etiam mea ornatorum terna exempla acceptabam, ut ALMAE ROMAE, ita PALAESTRAE, tamen hac rerum caritate omnium et mercedum magnitudine singulis exemplaribus contentus sum.

Igitur multum te amo quod in reliquarum turbine occupationum importunitati expostulationum mearum praebuisti aurem, multum te amo quod dono me cohonestavisti «Novorum et Veterum» curabiturque ut meum «agere gratias» in «referre gratiam» convertatur. Quod suspicatus ante eram, in eo ipso fasciculo, quem non accepissem, epistulam meam latitare, non me fefellit; nam admirans legi mea de comparanda excolendaque latinitate sensa. Et quod polliceris longiorem illam epistulam prodituram, gratissimum feceris; nam his ipsis diebus in cerebro voluto responsonem ad illa «neoclassica» et «oecumenica» conamina, quae Joseph Ferrarius, piae memoriae in religione frater, in SOCIETATIS LATINAЕ anni XIV fasciculo primo, mense decembri anni 1948, mihi inscripsit, quibus machinationibus eta lios superiorum subselliorum viros et te ipsum circumduci sentiebam; in duellando autem non opus mihi esse censeo iterum eadem quae proposita sunt disputare, satis erit paucis complecti verbis, quae a me responsa Ferrario sunt in ALMA ROMA et in PALAESTRA, quoniam rerum harum cupidi ex ipsis fontibus, ALMA ROMA cum editore mortuo, et ex PALAESTRA superstite commodo suo haurient. Sed haec causa est cur illam longiorem epistulam prodire quam primum cupiam.

Hic vero, si loquacitatis taedeat te meae, jam licet finem facias legendi, sunt enim, quae scribere pergam, minus ponderosa. Est in conspectu posita epistula tua et in oculos incurrit illa salus, quam exoptas Avenario «Viro litteratissimo». Hoc me epitheto, litteratissimum ut diceret, nemo me antehac ornavit, et ne in posterum ornes, primus sum auctor, nisi forte, qui ex lectio-ne Ciceronum septem vocabula servaverit et aliquem numerosae orationis gustatum habeat, hunc tu litteratum nomines. Hoc primum.

Sequitur quod parum prudenter in iisdem litteris meis garrire coepi de nostro in patriam Ciceronis itinere. Quam ea jejuna res sit ad scribendum, statim faciam ut sentias. Nam illa res animi potius et pectoris videtur fuisse, quam sermonis. Qui meam legere potuerit perorationem pro M. Tullio Cice-

rone nunc demum in PALAESTRA tua humanitate integrum, intelleget, opinor, magnopere interfuisse mea in illius viri venire patriam, cuius singulis fere diebus mihi praetereunti forum Romanum subiret recordatio. De illo igitur itinere haec habe:

Jam ex primis annis commorationis meae in urbe praeter nonnulla alia historicae hujus paeninsulæ loca trahere coeperunt urbes Arpinum et Amalphitum, illa quod protulerit Ciceronem, haec quod ossa teneat Andreae Apostoli. Sed ejusmodi desideria, etiam flammantia, plerumque in religiosorum hominum pectoribus, ubi nata sunt, sepeliuntur quadam strangulata paupertatis oboedientiaeque reste, et praecclare tecum actum fateor, quod anno 1939 ex eruti Pompeji propinquitate non nimio me spatio separari sentiebam ab illa Amalphitana civitate. Arpinum vidi anno proximo, die festo S. Joannis Evangelistæ. Et jam plus annum licuerat curru automolo Geepici typi illo currere, sed impedierat semper aliquid. Illo autem sereno die et tepido et feriotorum ob Christi natalem dierum ultimo sex viri evehimur Roma primumque tangimus frigidum Praeneste, quam coloniam Romanorum ille Catilina se kalendis novembribus anno a. Ch. n. 64 occupatum nocturno impetu confidebat, ut in prima Catilinaria oratione ipse ait Tullius, sed consulis jussu praesidiis, custodiis, vigiliis munitam sentiebat. Illud profecto proprium haec habet Italia, quod te, ubicumque pedem ponis, quocumque circumfers oculos, duobus annorum millibus te jungi sentias. Illa igitur via chilometrum triginta, quam usque ad Proeneste confeceramus, Arpinas noster saepe contendit Romam, vel ad urbem natalem revertit; illud acclive, cui Praeneste tamquam adglutinatum est, ante duo millia annorum saepe obiectum est pupulis Tulli pueri, adolescentis viri. Nos lustrata cathedrali suburbicarii Cardinalis Episcopi Praenestini ecclesia consensoque curru vehimur Anticolos, quae civitas hodie Fiuggi nominatur, celeberrima salubribus aquis, inde per viarum novis glareis instratarum salebras ad flumen Lirim venimus, quo vixdum transito repente digarius noster currum inhibens: «Arpinum hoc est!». Nos, emersi capsu digae, ad sinistram ecclesiam conspicamur, pone ad dextram aedificium trium virorum imaginibus ornatum quarum media Ciceronis fuit, nam academia illa Ciceronis fuit. Sex clericorum insolitum spectaculum fere esse visum est viris circum in foro otiosis. Ubi adulescenti cuidam nominavi ego Ciceronem, ille statim in Urbe natum Vetere in summo collocata monte. Paulum inde digressi versus ascensum montis ad sinistram alteram ecclesiam videamus, eamque dicatam Andreæ Apostolo, et in contigua area turmam puerorum pilam agitantium. Hos compello postumos Ciceronis civiculos, essetne aperta ecclesiae porta. Esse ajunt, et, ut me vident parum fidenter propinquare foribus, unus de numero cervina velocitate appropans ostium aperit ultro. Quam illa stirps est urbanior Romana pube! Enixi postea reliquum ascensionis spatium in veterem Arpinatium civitatem pervenimus. Hic duas videre est ecclesias tantumque vetustarum domorum, quantum satis sit vel octingenu-

tis incolis, sed pars domorum non habitari dicebatur. Nos remotiorem petimus ecclesiam, in qua diebus singulis sacra fiunt christiana et Venerabile asservatur. Inde revertimur ad murum cyclopium, constructionem urbis antiquissimam. Nam is murus in trium fere chilometrum circuitum, altus pro loci natura ad octo decemve metra, crassus ad tria metra, structus est magnis quadris et sine arenato sexto vel septimo ante Christum natum saeculo a Volscis. Illa igitur saxa, illam portam ante millia duo annorum prospiciebant oculi Ciceronis, eandem molem portamque VI kal. Jan. anno post Christum natum 1949 nos Ciceronis memores prospeximus. Triginta fere ab illo muro passibus summum montis planum extenditur aequore Tyrrheni maris metris sexcentis viginti septem altius. Illinc pulcherrimus in omnes partes est prospectus. Identidem torqueo stans oculos in regionem quae est inter orientem et meridiem, quam hodie *sudest* nominamus, nam illo versus non ita procul est Aquinum, cuius notissima proles divus Thomas est, quo, si per tempus licuisset, dixisset properandum. In medio plano lapis erat, cui acclinis unam legebam ex illis epistulis, quas duobus annorum millibus ante Cicero ad Atticum suum ex suo Arpinati dederat. Legentem quidam ex sociis photographico supellectili sua exceptit, qui postea etiam omnes ad cyclopium murum iisdem objecit lentibus crystallinis in memoriam illius excursionis nostrae sempiternam.

Ad extremum quamvis invitatis descendendum erat ex illa superiore civitate ad fratres, qui apud digam remanserant duos. Cum etiam priorem ecclesiam ingressi essemus, ab hujus aedituo invitamus ad contemplandum novum praesepe in ecclesiae angulo post aulaeum collocatum non sine ratione architectonica. Cum etiam in vicino thermopolio modica validae coffeeae sorbitiuncula refecti essemus, ab Arpino dividimur ferimurque versus Frusinonem. Ventum post aliquantum viae est ad abbatiam Casamarensim Ordinis Cisterciensis et placuit invisere illam ecclesiam. Extuleramus Arpino lagoenam vini, quo in via tenuem siccumque cibum diei humectaremus, sed quod non erat, quo extraheremus ex collo lagoenae corticem, ab illis monachis ejusmodi volsellam impetravimus.

Continuato postea cursu ita rapimur asphaltata via ut paulo ante expletam diei horam undevicesimam ad propria reverterimus diem claudentes longissimae jucundissimaeque memoriae. Et tamen, quod antea non satis exploratum erat, ut oculis lustraremus eam insulam, quae triangularis formae efficitur rivi Aufideni bicorni in Lirim affluentia, si hodie detur occasio, revertendum putem rei cognoscendae causa accuratius. Nam dicunt in ea insula triangula, ubi nunc Barnabitarum coenobium est, Amaltheum fuisse Ciceronis. Dicunt, inquam; re enim vera nemo pro certo affirmaverit, ubi locorum fuerit Ciceronis Arpinas, sicut in incerto est, et in incerto manebit, ubi stetet ejusdem Ciceronis Tusculanum, quod mense Martio, post complurium annorum intercedinem, invisimus, multum turpatum bello bombisque.

Quod reliquum est, vale, et, si nos amas, cura diligenter tuam valetudinem, neque committe, ut amicis immaturi obitus dolorem relinquas et singultus. Quam etiam mediusfidius facetum esset haec te legere, postquam te hic coram salutassemus ex Hispania ad sollemnem Patris Familiae Claretianae apotheosin advectum, quae sollemnia et tibi et fratribus illis et amicis vehementer gratulamur. Ex Urbe, V Nonas Majas anno Christi 1950.

*Jos M.<sup>a</sup> Mir C. M. F. P. Andreeae Avenario S. V. D., sal. pl.*

Summo dolore sum affectus, cum te Romae convenire non potuissem. Ducenti peregrini mihi curam attulerunt maximam, quos ubique opus erat et comitari et perducere magnis illis autocarris, eorumque quaestiones ac difficultates continuo exsolvere. Maximam temporis partem cum ipsis fui in deversorio Sancti Matthaei supra Janiculum, juxta ecclesiam Sancti Pancratii et Octavillae.

Post Canonizationem vero Sti. Patris et Summi Pontificis audientiam feriae II, tempus pomeridianum in foris, Basilicis, Scala Sancta perlustrandis cum socio insumpsimus. Feria autem III, primo mane, Viam Julianam adii Patrem Sarmiento quae situm, qui et te telephonio interpellavit, sed interrupta est communicatio et parum intellexisse videtur...; jamque nostrum et peregrinorum redditum parare urgebat...

Sic illud gratissimum mentis te conveniendi desiderium misere est fraudatum...

Oro te —quod per Patrem Sarmiento rogavi— ut aliquid de Sancto Patre nostro ad nos rescribas, quod cito in numero extraordinario edetur.

A Patre Sarmiento extremum PALAESTRAE fasciculum accipies.

Te et tua vehementer salvare jubeo.

Barbastro, III Id. majas a. 1950.

P. S. Tuam ex Urbe epistulam, V nonas majas traditam, aliquot dies post regressum nostrum accepi; opportuno tempore de omnibus respondere curabo. Vale.

## Bibliographia

SPES, *Diccionario ilustrado latino español y español-latino*. Prólogo de D. Vicente García de Diego; tercera edición revisada y ampliada con latín eclesiástico por el cuerpo de redactores de PALAESTRA LATINA, bajo la dirección del R. P. José M.<sup>a</sup> Mir, C. M. F., con un resumen de gramática latina.

Barcelona, 1950, Ediciones Spes, pp. XV-676+36; cm. 20 x 13.

Notissimum hoc dictionarium «Spes», medium tenens viam inter graviora et leviora lexica Latina, nuper tertium editum, omne tulit punctum. Miscuit etenim utile dulci.

Sicut in prioribus editionibus, in hac

**tertia** fulget tum verborum copia et proprietas tum vivida imaginum collustratio. Liber est manualis, ad usus scholarum confectus, attingens praecipuos scriptores classicos, ad diversos verborum sensus exemplis auctoratus.

Pars prima longiorque continet lexicon Latinum (pp. 1-554); pars altera lexicon Hispanum (pp. 555-676). Praemittuntur verba auguralia clari viri Vincentii Garcia de Diego et notulae nonnullae ad usum dictionarii. Demum fasciculus de re grammatica additur haud parvi momenti.

Sed praeter ea, quae in superioribus editionibus elucebant, hoc duplex meritum in hac **tertia** editione comperit: nempe, quod voces sermonis ecclesiastici adduntur maxime in usu atque voces ipsae classicae significatione ditantur atque sensu scriptoribus ecclesiasticis usitato ac praesertim quod in mendis devitandis, in proprietate et convenientia exemplorum, in syllabarum quantitate, in recta verborum scriptione, latet jugis, patiens, efficax emendatorum labor, qui, si sollertia commendat scriptorum **PALAESTRAE LATINAЕ** eorumque animi firmitatem et in Latinas litteras religionem, dum hanc tertiam accuratam editionem pararent, ansam praebet ut hoc dictionarium «*Spes*» in Seminaria, Instituta, Ephebea, tum Hispana tum Americana omnium plausu atque eventu perveniat. Quod res ipsa cito evincet.

PLANQUE, ANÈME, LERMINIAUX, CHILAIN, DETELLE, *Gramática Griega*, traducida de la tercera edición por Antonio Planas, C. M. F. — Textos Palaestra, Lauria, 5, Barcelona, 1949, pp. 272.

Ab initio hujus scholaris curricti venum datur apud edit. domum «*Gráficas Claret*» laudata grammatica graeca a Belgis magistris tertium jam edita, nunc demum in Hispanam linguam conversam a Prof. Ant. Planas, C. M. F.

Magnis pollet virtutibus haec Graeca Grammatica, cum scientificis tum paedagogicis, sed non est cur id earum ex-

positione longius immoremur, cum jam prius de editione Gallica sermo fuerit in **PALAESTRA LATINA** (n. 74, p. 78).

Jam vero editio Hispana non quidem cum Gallica aequatur, superat quoque, Belgarum auctorum testimonio. Ratio totius operis ita se habet:

1) *Phoneticarum regularum brevis* sed nitida expositio (pp. 9-20).

2) *Morphologia*, in qua non tantum formae verborum traduntur, sed earum quoque ratio phonetica (pp. 20-116).

3) *Series verborum*, quae in futuro, aoristo, perfecto formas speciales praebent (pp. 116-129).

4) *Syntaxis verborum*, in qua ordo, claritas, convenientia rerum exemplorumque claret (pp. 129-156).

5) *Praepositiones summatim* in vario earum sensu proponuntur (pp. 156-165).

6) *Syntaxis orationum*, ubi voces, modi, tempora, propositiones perspicue traduntur (pp. 165-224).

7) *Particularum tractatus specialis* (pp. 224-248).

8) *De lingua Homerica notanda praecipua* (pp. 234-248).

9) *Indices rerum* (pp. 248-272).

Opus est in quo mirum in modum consolantur et doctrinae copia et paginarum brevitas, expositionis nitiditas, perspicuitas regularum. Adde in vertendo diligentiam, curam in editione paranda; litterarum varietatem et claritatem, miramque dispositionem in exponenda doctrina; ipsam chartam pellucidam et opificum strenuum laborem. Omnia ad totius operis perfectionem colliguntur, ut non tantum animis Graecae litterae facile percipi possint sed etiam oculis penitiore vi atque ingenio.

JOSEPHUS JIMÉNEZ, C. M. F.

*Hacia el Cuarto Año Jubilar. — «Publicaciones Cristiandad». — Ediciones Ariel S. L., Barcelona, 1948.*

Nullum ex lectoribus nostris latere existimamus quantum Ephemeris — «Cristiandad» — iterata scriptione conulerit ut hic, quem videmus, erga An-

num Sacrum universalis animorem motus excitaretur.

Enimvero, jam pridem — «Cristiandad» — praedicabat animosque, IV Anno Sacro adventante, praecolebat ut illa totius orbis Sacris Iesu ac Mariae Cordibus a Leone XIII et Pio XII, summis Pontificibus, reddita Consecratio, iterum, saeculi perversitate id expostulante, redderetur.

Statuta jam a Summo Pontifice hu-

jusmodi Consecrationis citra hunc Annun Sacrum iteratione, facere non possumus quin Barcinonensi Ephemeridi imprimis ex animo gratulemur quod illius voti compos evasit, in quo suscipiendo tantum adlaboravit; deinde lectoribus nostris commendemus ut optima animi affectione indictam dedicationem peragant, sibique persuadeant nihil aptius excogitari posse ad Christi in societate regnum instituendum.

MAULÉON.

## Per Orbem

PALAEESTRA LATINA, cuius semper fuit Latinitati incumbere ejusque studium impensis in dies colere, gaudet in primis dum novas ephemerides ad studia classica agenda et evulganda lectoribus nuntiat.

HELMANTICA. — Omnium, qui ad Congressum Litterarum Classicarum Salmanticensem convenerunt, illud insitum erat desiderium singularem ac propriam habendi ephemeridem, quae communem consociaret mentem et amorem in litteras excolendas, atque polita et limata Professorum scripta praebet divulganda. Quod quidem, non nullis superatis difficultatibus, perfici tandem potuit.

HELMANTICAE igitur officium erit ut, quos alumnos in Congressu, aliquot dies, apud se recipit quotannis Alma Academia, eosdem, editis scriptis, per egregios magistros intra annum edoceat.

HUMANIDADES: Pontificiae Universitatis Comillensis ephemeris, bis in anno edita, quae in investigandis foventisque litteris Graecis, Latinis Hispanisque sedulo laborat. In quidem ab omnibus facile dignoscitur elaborata omnino esse scripta in vulgus proleta, quae et in intellegendis classicis scriptoribus, et in arte et pulchritudine recte captanda, et

in novis discendi rationibus, magnam lectoribus afferent utilitatem.

ANUARIO CLARETIANO dos Colégios Internos de formação da Província Brasileira. Curitiba, 1949.

FLOS CAMPI, revista de Iniciación Literaria, Villa Claret (Argentina).

In his commentariis selecta legimus quae ad humaniores —quae dicuntur— litteras exspectant. In extremo praesertim optima sunt, quibus oblectari utique lectorum animi possunt, carmina in primis exquisita lectitando a Rdo. A. Lucesole et P. R. Sarmiento, C. M. F. composita.

GYMNASIUM, Comentarium Bossen-sii in Seminario Claretiano.

Moderatoribus aliisque egregie in hoc novo latinitatis Gymnasio colluctantibus gratulationem et laudem facimus maximam Ibi adulescentes, quibus in primis datur commentarium, suis subscriptionibus ac tentaminibus pede incipient currere certo in Lingua Latina et Graeca, soluta et stricta numeris oratione, a suis docti magistris. Magna in latinitate colenda apud Columbianos Professores et alumnos de novo Commentario speramus.

TRISTANIUS, C. M. F.

# NOVA ET VETERA

## DE DOMO ROMANA

T. Flavius Tusculi, in amoeno loco, villam habet, in qua, media aestate, aliquot dies cum uxore Terentia et liberis rusticari consuevit. Primo mane ab Urbe proficiscuntur ac raeda adveoti, occidente sole, in villam tandem deveniunt. Locus profecto amoenissimus est ac villarum copia abundat.


Cornelius, Flavii filius, nobis occurrit ac, postquam comiter nos salutavit, totam villam describit:

«Porticus illa ampla —tibi narrat— marmoreis est suffulta columnis, ubi cum amicis pueri et puellae ludere solemus; sub his columnis multa me docuit Terentius paedagogus de grammatica, de numeris, de poëtis, de musica; ibi etiam fidibus didici. Praeter amplam porticus januam, alia est porta qua pueri ingredimur atque servi onera intro comportant. Juxta est feneſtra velamine protecta, ex qua mirus prostat in hortos et praedia vicina conspectus, ac per eam purus aer, quin sol capiti noceat, penetrat. Contignationis cenacula <sup>1</sup> fenestellis, quibus lux immittitur, instruuntur, ac supra tectum solarium inſternitur, cui pensilis trichila <sup>2</sup>, reptantibus plantis, per bella adnectitur. Haec est fere —ut videtis— externa villaे nostrae Tusculanae descriptio».

Tullia soror mea obviam tibi venit; ab ea, quae sint interioris domus partes, subtilius disces:

— «Salve, o bone vir, exquiris a me —ut a Cornelio fratre audio— domus nostrae descriptionem. Libenter id quanquam raptim, perficiam. In hac tamen villa forsitan non omnes partes, quas proferam, inveniantur, sed sunt profecto in ea domo, quam Romae habitamus».

Domus in primis *janua* praemunitur, in qua et *limen superum* et *inferum*, quod pedibus calcamus, vides. Postes <sup>3</sup> duo sunt ad dextram et ad sinistram; *fores* infixos habent *cardines*, —in limine supero et infero —, quibus volventur. Aperta *janua*, *vestibulum* intramus, *ostiumque* nobis patet, quo in *atrium* ducimur. Est autem *atrium*, ut vides, *praecipua* domus pars: hic vita familiaris majorum agebatur, hic Larum ara, ubi coluntur, hic sacer focus *Vestae* dicatus, hic majorum





ac nobilium hominum imagines venerantur, hic etiam nunc plebeji epulas parant. *Pavimentum* est tessellatum<sup>4</sup>, *tectum* lacunaribus ornatur magnificis. In medio autem atrio foramen —cui nomen *compluvium* — aperitur, quo aér et lux penetrant et aqua pluvialis in stagno, *impluvii* nomine appellato, coacervatur; juxta est *fons saliens*<sup>5</sup> et saepe *cartibulum*<sup>6</sup>, ubi vasa fictilia et coquinaria deponuntur. Attriorum plura sunt genera, quorum praecipuum *toscanum* —quod in nostra domo vides—, quattuor trabibus inter se conexis constat et in medio locum praebet vacuum ad compluvium effingendum; atrium vero *tetrastylum* (seu *corinthium*), juxta impluvium, quattuor columnis *tectum* sustentat.

Ad atrium, dextera laevaque, *cellae* seu *cubicula* parantur, quibus duae *alae*<sup>7</sup> utrumque subsequuntur, e regione autem januae *tablinum* conspicis elegantem —uti vides— ac praestantem locum volubilibus linteis, quae Terentia mater figuris mira arte depinxit, protectum; apud alios, ut in domo Terentillae, *tabulae mobiles*, p̄o linteis, *tablinum* ab atrio separant; quod aliquando, ut a matre audivi, triclinii vices gessit; nunc autem *tabularium*<sup>8</sup> seu *rationum tabulas* ac res pretiosas continet. Hic pater saepe cum amicis versatur et clientes mane excipit. *Fauces* transitum praebeant, quo servi eant redeantque ex atrio, quin per *tablinum* transeant.

Haec est fere domus quam Romanam nominamus, sed mos apud nobiliores invaluit ut aliae partes *Graecorum more* adjiciantur.

*Peristylum* enim continenter subsequitur, locus in circuitu columnis saeptus ac porticum effingens, ubi *hortum* seu *viridarium* floribus consitum, fonte salienti praeditum, *hermisque*<sup>9</sup> clarorum virorum ornatum Flavius pater summa cura diligentia. Ibi saepe aestivo tempore caeli aërisque temperiem captamus hieme vero sole confovemur benigno, hic cum *viridario* nostro opus *topiarium*<sup>10</sup> curamus aut etiam *tabulas* et *topia*<sup>11</sup> depingimus. *Peristylio* saepe additur *exedra* ampla et elegans aula, ubi amici congregari et confabulari solent, et *oecus* cenationis in primis locus maxima arte et elegantia ornatus. In *peristylio* igitur maximam diei





quoque invenies cum duobus tricliniis et verno et hiemali, *cellam penariam, bibliothecam* —si in tablino non est—, *familiaricam, scalas*, quibus in superiorem contignationem facile ascendimus, ubi et servorum *cenacula*, quae aliis saepe locantur, continentur.

Sed priusquam finem facio, *cubiculum* ingrediaris, quaeso, quod *velis* affabre textis atque piatis instructum conspicis ac magnifica *lampade*, in *tripode* constituta, collustratum. *Lectus*, in *suppenaneo* impositus, mira est arte fabricatus, cui aureae ac marmoreae *crustae* inseruntur; *fulcris* seu *pedibus* *sponda*<sup>12</sup> innititur et *institae*<sup>13</sup> seu *restes* *torum* sustinent, cui infra imponitur saepe *toral* et supra *stragulae vestes*<sup>14</sup> mira artis varietate textae; ad caput *cervical* seu *pulvillus* jacet.

Haec fuit Terentiae domus descriptio, cui et grates reperdimus maximas, eique tandem comiter vale diximus. Id tibi unum additum cognitumque volo: aedes Romanas, ut apud nos mos est, multiplici varietate exstrui atque in primis domum maxime differri ab *insula*<sup>15</sup> quae in plura elevabatur *tubulata* adeo ut Augustus insulas prohiberet quae septuaginta pedes (viginti metra) excederent. Insularum copia maxima erat adeo ut Cicero Romam *cenaculis sublatam* atque *suspensam*\* diceret.

Supelectilia et alia interioris domus, subsequentibus fasciculis enarrabimus.

#### VOCABULARIUM

1 <i>cenacula</i> , orum, <i>habitaciones</i> ( <i>del piso superior</i> )	9 <i>hermae</i> , arum, <i>bustos, estatutas</i>
2 <i>triclinia</i> , ae, <i>glorieta</i>	10 <i>opus topiarium</i> , <i>obra de jardinería</i>
3 <i>postes</i> , ium, <i>jambas</i>	11 <i>topia</i> , orum, <i>paisajes</i>
4 <i>pavimentum tessellatum</i> , <i>pavimento de mosaico</i>	12 <i>sponda</i> , ae, <i>cuja, armazón de la cama</i>
5 <i>fons saliens, surtidor</i>	13 <i>institae</i> , arum, <i>sommier</i> ( <i>de cintas</i> )
6 <i>cartibulum</i> , i, <i>velador</i> )	14 <i>stragulae vestes</i> , <i>mantas, colcha, cosido de cama</i>
7 <i>alae, arum, cuartos, habitaciones</i>	15 <i>insula</i> , ae, <i>manzana, casa de varios pisos para alquilar</i>
8 <i>tabularium</i> , ii, <i>árbivo</i>	

\* Cic., *de lege agr.*, II, 96.

Jos. M. Mir, C. M. F.

**SPES — Diccionario Ilustrado Latino-Español Español-Latino.** Prólogo de D Vicente García de Diego, de la Real Academia Española y del Instituto Cardenal Cisneros. Con un apéndice-resumen de Gramática Latina.

3.<sup>a</sup> edición revisada y ampliada con **LATIN ECLESIASTICO** por el cuerpo de redactores de **PALAEASTRA LATINA**.

Un volumen de 728 págs.: Ptas. 55.

**SPES — Diccionario Abreviado Latino-Español Español-Latino,** con ilustraciones, para los primeros cursos del Bachillerato.

Un volumen de 312 págs.: Ptas. 25.

**ECHAURI — Diccionario Manual Latino-Español Español-Latino.**

6.<sup>a</sup> edición corregida y ampliada.

Un volumen de 830 págs.: Ptas. 50.

**PABON-ECHAURI — Diccionario Griego-Español,** con lista alfabética de formas verbales y apéndice gramatical.

2.<sup>a</sup> edición corregida y ampliada.

Un volumen de 602 págs.: Ptas. 40.

---

**PUBLICACIONES Y EDICIONES SPES, S. A.**

**« EDITORIAL SPES »**

Avenida de Carlos I, 149

**BARCELONA - 13**

---


**Cum emetis, PALAESTRAM LATINAM nuntiantibus referetis**

# **VINOS DE MISA**

**DE MULLER, S. A.**

**TARRAGONA**

Casa fundada en 1851



Medalla de Oro en la  
Exposición Vaticana de 1888 (S. S León XIII)  
Proveedores de Sus Santidades  
Pío X, Benedicto XV, Pío XI y Pío XII

**Garantía de absoluta pureza**

**E X Q U I S I T A   C A L I D A D**

Certificados del Excmo Sr. Arzobispo de  
Tarragona y de muchos otros Ilmos. Prelados

*Cum emetis, PALAESTRAM LATINAM nuntiantibus referetis*

## Compositiones vertendae

### CICERON (II)

Para conseguirlo (24), con aquel amor y entusiasmo (25), sin el cual nadie llega nunca a hacer cosas grandes (26), cultivó aquellos estudios que otros descuidaban (27); y advirtiendo (28) que el poeta y el orador, como dice él mismo, tienen muchos puntos comunes en el ornato (29), depuró y perfeccionó con ejercicios poéticos el estilo latino (30); buscó los más famosos modelos de elocuencia romana (31) y se hizo familiares (32) los autores griegos y tradujo (33) para su uso particular los discursos más bellos.

NOTAS: (24) Empléese el relativo coordinativo, *quod ut assequeretur*. (25) *Studium atque ardor quidam amoris*. (26) *Nihil quicquam egregium nemo unquam perficere*. (27) *Negligenter omittere*. (28) *Intellegere*. (29) *Oratori poëta multis ornandis generibus finitimus socius est* (!). (30) *Latinae orationem ornare atque expolire*. (31) *Latinae (mejor que romanae) eloquentiae auctores locupletissimos inquirere* (32) *Evolvere*, también *studiose uti*. (33) Traducir (libremente), *explicare*; también *verttere, converttere*.

## CATON EL VIEJO Y CARTAGO

Catón el Viejo (1), que inflamado (2) de odio implacable (3) a Cartago y solícito de la seguridad de la posteridad (4) siempre que (5) se reunía el Senado (6) exclamaba que se debía arrasar (7) a Cartago, un día llevó (8) a la Curia un higo temprano (9) de aquel país (10) y mostrándolo a los senadores (11) dijo: «Pregúntoos cuándo pensáis que ha sido arrancado (12) del árbol». Como todos reconocieran (13) que era reciente [repuso]: «Pues bien (14), sabed que hace dos días fué arrancado en Cartago; tan cerca de los muros tenemos al enemigo». Y al punto se declaró (15) la tercera guerra púnica en que fué destruída Cartago.

NOTAS: (1) *Cato Major*. (2) *Flagrans*. (3) *Inexpiable codium*. (4) *Posteri -orum*. (5) *Quotiens-cumque*. (6) *Senatus esse*. (7) *Deleo*. (8) *Affero*. (9) *Ficus praecox*. (10) *Regio -onis*. (11) *Patres*. (12) *Decerpo*. (13) *Inter omnes constare*. (14) *Atqui*. (15) *Decerno*.

## CORRIGENDA IN FASCICULO 121

- Pag. 173, lín. 5 pro *subraendum*, lege *subtrahendum*.  
lin. 34-35 pro *astramentarium*, lege *atramentarium*.  
Pag. 169, lín. 4 pro *ora*, lege *ora*  
lin. 10 pro *TIBI*, lege *TUI*

# CURIOSA

## 268. — VISIO SANCTI MORANDI ABBATIS (1)

Mira loquor, sed digna fide — Bernarde? quid hoc est?  
Vtvis adhuc? — Vivo. — Non es, rogo, mortuus? — Immo.  
Et quid agis? — Requiesco. — Taces an faris? — Utrumque.  
Cur retices? — Quia dormio. — Cur loqueris? — Quia vivo.  
5 Quid loqueris? — Sacra mystica. — Cui? — Mea scripta legenti.  
Num cunctis? — Non. — Ergo quibus? Qui dulcia quaerunt.  
Nomen habes? — Ita. — Quod? — Bernardus. — Num sine causa?  
Non. — Dic ergo, quid est Bernardus? — Id est bona nardus.  
Cur nardus? — Quoniam fragro. — Quo flamine? — Dulci.  
10 Cui fragras et ubi? — Lectori codice sacro.  
Quod cognomen habes? — De Clara Valle. — Manes hic?  
Mansi, sed modo non. — Ubi nunc? — In vertice montis.  
Qualis eras in valle manens? — Humilis. — Modo quantus?  
Maior nunc sursum. Quanto minor ante deorsum.  
15 Nilne tui vallis habet? — Immo — Quid? — Ossa. — Quousque  
Donec caeleste fiat terrestre cadaver.  
Hoc quando fiet? — Omnis caro quando resurget.

## EPIGRAMMATA

### 269. — LUSCUS ET GIBBOSUS

Cum cuperet luscus gibboso illudere cuidam,  
quem surgente die viderat, inquit: «Ohe!  
quam tibi mature gravis urit sarcina tergum!»  
«Mature sanel, callidus, alter ait,  
idque ego cum primis ex illa judico causa,  
quod tantum pateat una fenestra tibi.»

### 270. — O TEMPORA!

— Quam mala virtuti decurrunt tempora, Crispel  
Scisne quibus probris me meus ipse gener  
Impetat? Heu, narrat me omnem posuisse pudorem!  
— Credas, arcanum jam modo nemo collit.

### 271. — OPPORTUNE

— Estne domi dominus? — Sed nunc non accipit ille.  
— Non ut is accipiat, solvat, id opto, mihi.

### I. MAULEÓN

(1) Hanc miram visionem, que in non nullis saeculi XVI Codicibus reperitur et legitur apud DREVES, *Analecta hymnica medii aevi*, t. 15, n. 820, p. 239, benevolè ad nos transmissit P. Narcissus García, C. M. F., cui grates referimus.

## PRETIUM SUBNOTATIONIS ANNUAE

20 pesetarum in Hispania et America. 22 pesetarum in reliquis civitatibus.  
Pretium mittatur oportet ad Administratorem: Lauria, 5, Apartado 1042, Barcelona  
Scripta ad Moderatorem: Conde, 2, Barbastro (Huesca).

Typographia — F. Camps Calmet. — Teleph. 54. — Tarregae in Ilerda Prov.